



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Decimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

applicatio J. *Jam*, H. *habes*, S. *satis*. Significabatur
 novo invento potissimam hæretici triumphii partem
 esse, quod societas ex ea urbe ejecta esset. At
 quam male ludit, malum ingenium, etiam
 cum optimè lusum existimat! draconis spe-
 ciem suapte suscepit: cujus semper vult celare ani-
 mum: rictus ad devoranda sacratissima insignia ex-
 pandit, quorum præfert cultum. Verùm, & quam
 male, tam falso ludit. Nequaquam ejus ingluviei,
 præda facta est, societas: adhuc Ignatianæ lucernæ
 faces, dracones istos toto orbe terrent. Condu-
 tur interdum, ut depromptæ facilius perstringantur
 subducuntur, unì loco, ut in altero utilius luceant.
 Hient toto ore sævi dracones, totoque efflent gut-
 ture immanes impetus, Lucerna Ignatii, Pharos
 æterna mundo erit.



MODUS DECIMUS.

Constare hic quoq; ex Allegoria imperfecta
 censetur. De natura interea non disputo, sed
 ad commoditatem usûs, illum profero. Est autem,
 quando Propositio quidem orationis, simplicibus
 verbis ponitur: probatio autem non simpliciter,
 sed sub similitudine & Allegoria tractatur. E. g. si
 Dominica Sexagesimæ, proponas, inquisituum te,
 Quid sit causæ, quod verbum Dei ex se efficacissi-
 mum, valdè parum in hominibus operetur: & in
 Confirmatione, reddas rationem propositionis,
 ietentâ Allegoriâ seu similitudine feminis, in viam
 rnter spinas, & super petram cadentis: non jam ex-
 plican-

plicando, quid per has metaphoras intelligatur. Sed sub ipsis Metaphoris intentum prosequendo. Hac ratione dicendi, potissimum uti solemus, cum Evangelia duo ejusdem diei, aut Evangelium, & aliquis locus aliunde petita scripturae, aut Evangelium & Epistola combinantur.

PRAXIS.

In Die sanctissimo Pentecostes.

Paracletus Spiritus S. &c. ille vos docebit omnia,

Joan. 14.

Accessus & Propositio. Nemo mortalium ita jucundus; quin consolatore spiritu sancto egeat: non omnes tamen ita felices, ut eum Paracletum hoc est consolatorem experiantur. Videamus ergo, quid ob stare possit, ne nobis promissus Consolator, sit Consolator.

Confirmatio, ex combinatione Epistolae, & similitudinum linguae, venti, ignis, sub quibus apparuit Spiritus S.

Tres species, seu similitudines ex Actis Apostolorum censentur, sub quibus Spiritus S. discipulis apparuit: linguae, venti, ignis: & singulae, ut spiritum esse Paracletum monstrant: ita cur nobis non sit saepe Paracletus, docent.

I. Linguae, significant Paracletum. Sunt enim instrumenta, suadendi, disuadendi, erudiendi, solandi. Hinc & S. Ephrem in suis orationibus linguae *Citharam* appellat, cujus concors harmonia, plurimum homines recreat: quae omnia sublimio-

ri modo, linguæ, spiritui sancto conveniunt; cum illo promisso venienti. *Ille vos docebit omnia.* Si melior gutta sapientiæ, quàm dolum fortunæ; si que unius rei scientia animos maximè delectat: quod erit solatium scire sub hoc Magistro, *Omnia*: magnum omninò: sed monente Aug. tt. 9. in Joann. *Auditorem hac lingua desiderat. Excute aurem, intende melodiam.* Quid mirum, si nihil ab hac cœlesti lingua solatii referamus, cum aures loquenti non damus? Illa amat loqui in solitudine, & silentio Osee 2. 14. quemadmodum hodie locuta Apostolis: nos publicum ambimus; illa, vult loqui, pacem in nobis. Psal. 84. Nos extra nos, turbas quarimus. D. Baptista ad prædicandum missus Joan. 1. se totum *vocem* dixit, ut auditores toties faciet *aurem*, Quid ni id quoque hæc Divini Magisterii explanatrix lingua requiratur? quod quia non obtinet, meritò in nobis perficit, à se ipsa Eccl. 3. *Redicta ubi non est auditus non effundas sermonem.* Quid si aliis interlocutoribus, libentius insuper aures damus, carni, mundo, dæmoni. *Zelotypus est iste sponsus* dicebat D. Bernar. de Christo in scala Claustr. §. 10. *Si fortè alium amatorem receperis, statim discedit ate.* Idem iudicium, de Spiritus Sancti Magisterio, & Consolatione esto.

2. Ventus, significat itidem Paracletum. Est enim Spiritus Sanctus, ut canit Ecclesia, *in labore requies, in astu temperies*, quam ventus causat. Neque obstat quod apparuerit: in specie venti, seu Spiritus vehementis. Factum id, ut impleretur, Prophetæ vaticinium. Psal. 43. *In Spiritu vehementi, conteres*
naves

naves Tharsis. Quid sunt naves Tharsis nisi viri potentes, viri divitiarum stupentes hodie in prædicatione Evangelica? Factum id item, ut ostenderetur modus, quo in nobis solandis uti solet: scilicet afflando nos in spiritu vehementi, Nam ut notat B. P. Ignatius, in suis exercitiis spiritualibus: Spiritus Sanctus solet præmittere, solatiis, animi conturbationes: quæ deinceps in solidū gaudium definant sicut è contra, spiritus reprobus; incipit à solatiis desinit in tristitiam. Psal. 142. *flabit spiritus eius & fluent aqua.* O dulces aquas? O prætiosas Cæli guttas? quæ sunt, *non solum redemptio peccatorum,* teste Ambr. sed & *refectio justorum,* quando rigabitis aridam mentis meæ? Tunc, cum flabit Spiritus ejus Spiritus vehemens, qualis solet nubes congregare: nubes utique timoris Dei, & horroris peccati: præambulæ liberalis pluviae, solatiis animæ, inundaturæ. *Secundum multitudinem dolorum meorum, in Corde meo; Consolationes tuæ, latificaverunt animam meam* inquit rem expertus David Psal. 93. Quid hîc agimus imprudentes mortales? Vix Spiritus vehementiam sentimus, & statim nos illi subtrahimus. Nimirum ut verissimè Joan. Akempis, frater Thomæ apud Busf, cap. 3. *Humiles esse volumus, sed sine tribulatione obedientes, sed sine Coarctatione: pauperes, sed sine defectu: virtuosos sed sine labore: pœnitentes, sed sine dolore.* Decernente contrarium, immutabili veritate Eccles. 9. *Timorem & metum, & probationem, inducet super illum: donec, tentet eum in cogitationibus suis: & firmabit illum, ut iter adducat rectum ad illum, & latificabit illum.*

3. *Ignis.* Hic quoque significat Paracletum, seu consolatorem Spiritum S. quia in igne descendit ait Hugo: de S. Victore, *ut haberet lumen & flammam: Lumen ad Cognitionem, flammam ad dilectionem.* Quo quid felicius? quid delectabilius? Nec Cælum dabit plura; quam, quia ibi eum videbimus, amabimus, laudabimus ait Aug: in Soli. Sed, ut vulgò ferunt: *Sine lignis non erit ignis.* 3. Reg. 15. immolavit Elias holocaustum perfusum aquâ: quod, ignis Cælo lapsus, consumpsit. Miracula hæc sunt Spiritus Sancti; pro sua potentia operantis, & Magdalenas, Paulos, Guielhelmos, accendentis. Cursus & ordo destinatus ita fert, ut sine lignis non sit ignis. *Quemadmodum lux teste Ber: in Cant. 1. in cassum circumfundit, oculos cecos, vel clausos; ita animalis homo, non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Quippe, Spiritus Sanctus effugiet fictum, sed nec ei erit unquam pars, cum Mundi vanitate; cum sit Spiritus veritatis, Unde idem merito cõcludit de tripl. Custo. Omnes nobis Causamur deesse gratiam sed justius, forsitan, ipsa sibi queritur gratia, deesse nonnullos. Nempè, res cordis ista gratia est, quam querimus: & hoc munere se ipse fraudat: qui internum ei dissimulat habitaculum, exhibere. Da Cor, humanis affectionibus vacuum, Carnis amoribus remotum, mundo aridum, Cælo promptum, & Spiritus Sancti flammâ dignus eris; fietque tibi, qualis venit, Paracletus,*

MODVS